9

Ego Jacobus de Eltz Archidiaconus tituli sancti Lubencii in Dietkirchen in ecclesia Treveren. / Notum facio universis quod archidiaco-
natum meum predictum et omnem eiusdem Archidiaconatus iurisdictionem cum omnibus et universis suis iuribus et pertinenciis a Reverendissimo
in christo patre et domino domino Richardo Archiepiscopo Treveren. / domino meo graciosissimo ad cuius collacionem seu provisionem ipse Archidiaconatus
meus pertinet / pleno iure recepi ac me recepisse recognosco per presentes / quodque in huiusmodi mea promocione iamdicto domino meo domino Archiepiscopo
Treveren. / infrascriptum obediencie et fidelitatis prestiti iuramentum cuius tenor sequitur in hec verba / Ego Jacobus de Eltz Canonicus
et Archidiaconus tituli sancti Lubencii in Dietkirchen / in ecclesia Treveren. / Iuro polliceor et promitto / Quod ab hac hora inantea fidelis ero /
Reverendissimo in christo patri et domino / domino Richardo Archiepiscopo Treveren. / eiusque successoribus et ecclesie Treveren. / ipsorumque
personas res iura / statum / et honorem presentes et futuras / fideliter promovebo / et pro posse defendam periculum sive dampnum rerum seu
personarum ipsorum non tractabo / nec tractari procurabo / verbo vel facto / nec tractantibus dabo consilium auxilium vel favorem / Et si
quempiam aliquid horum tractare vel procurare sensero quam cicius potero eis manifestabo / Consilia et secreta eorum mihi credita fideliter apud
me retinebo / et ea nulli ad eorum dampnum preiudicium vel contumeliam pandam / Archidiaconatum meum predictum et ipsius iura proventus et
libertates fideliter manutenebo / et deperdita ex hiis pro posse recuperabo / nec de hiis aliquid alienabo / vendam / impignerabo in feudum vel
in emphiteosim concedam sine prefati domini mei Archiepiscopi Treveren. / aut suorum successorum licencia et consensu expressis / Clerum mihi
subiectum / in honoribus et iuribus suis debitis fideliter conservabo / iuxta posse nec eos artabo aut artari permittam / ultra id quod per ipsos
erga suos Archidiaconos predecessores meos / ab olim fieri est consuetum / prefatoque domino meo Archiepiscopo eiusque successoribus serviam et obediam
in omnibus licitis et honestis / Contra premissa aut aliquod eorum non impetrabo relaxacionem dispensacionem seu commutacionem a Sanctissimo
domino nostro summo pontifice seu eius successoribus generalibus Conciliis eorum legatis seu alia quacunque persona quacunque eciam prefulgeat
dignitate nec aliter impetratis vel impetrandis eciam si motu proprio fuerint concessa / Sic me deus adiuvet / et hec sancta dei evan-
gelia / In cuius rei testimonium ego Jacobus de Eltz supradictus has litteras sigilli mei appensione munivi / Datum die penultima mensis
Decembris Anno domini Millesimo Quingentesimo decimo sexto / iuxta stilum scribendi in Civitate et diocesi Treveren. /

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 12

N 3. fasc. 1

Juramentu d Jacobi de Eltz
Archidiaconi in Dietkirchen
1516
[illegible]

R 7 [illegible]

Archidiaconus a Eltz
1516

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 12

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 12